

aphysicus eandem per se notam perfectius cognoscit: & hoc magis esse evidens, si tantum per diversa motiva, vel media cognosceretur linea a diversis, & aequè distinctè ex parte obiecti, licet non aequè clare.

Ita in proposito, principium immediatum de linea, potest esse evidens intellectui noto a linea, & clarius evidens intellectui noto a Verbo ad notitiam lineæ, sicut linea clarius videtur: tamen principium uno modo notissimum, non demonstrat se alio modo notum, sed utroque modo est per se notum: sicut clarius sic, vel sic subalternatio autem requirit, quod notitia principiorum scientiæ superioris, sit causa notitiæ principiorum inferioris scientiæ. Hoc de Theologia in le.

Sed quid de Theologia nostra (a)? Eset ne subalternata si talis notitia daretur alicui vel si est data? Ad hoc dicunt quidam, quod est subalternata: sicut scientiam scientiæ superioris, & Beatorum. Contra hoc arguitur sic. Illi alibi ponunt, quod scientia non potest stare cum fide: sed non dicunt, quod quæ est subalternata fiat cum fide: ergo fiat secundum eos, & non fiat: igitur contradicunt sibi. Preterea scientia de Deo non potest esse nisi una: igitur nulla est subalternata (b). Preterea scientia secundum rationem causam, non dependet nisi ab obiecto, vel subiecto, vel lumine: sed se ipsa intellectus viatoris, visio Beatorum nullam habet rationem cause: ergo, &c. Preterea scientia subalternata, & subalternata non sunt primo de eisdem rebus: vel specialiter scilicet hoc patet, quia ubi subalternata incipit sibi subalternans desinit: sed hoc potest esse de eisdem, de quibus est scientia Beatorum: ergo, &c. Preterea habens scientiam subalternatam, potest habere scientiam subalternatam, & e converso: sed in proposito est impossibile utrumque: ergo, &c. Major patet, quod utrumque s. primo, quia habens principia de conclusione, potest scire conclusionem. Similiter patet secundum, quia principia subalternantis sunt unio specialiora, & sic ordine cognitionis intellectualis prius nota: quia ubi secundum quod videtur, non proceditur a magis notis, sed a sensu. Minor etiam patet quod utrumque membrum, quia sicut viator non potest clare videre, sic Beatus non potest habere fidem.

Q U Æ S T I O Q U A R T A.

Utrum Theologia sit practica?

Quod non, arguitur, Jo. 20. Hac autem scripta sunt, ut credatis: sed credere est speculativum, quia ei succedit visio: ergo, &c.

Preterea practica ponitur esse circa contingens (c), tertio de anima, &c. 1. Eth. in principio: sed obiectum huius scientiæ non est contingens, sed necessarium: ergo, &c. Item Boetius de Trinitate, assignat tres partes speculativæ, quarum una est Theologia secundum eum, & quod loquitur

tur de ista, videtur, quia subdit ibi, de subiecto illius, quod subiectum eius est prima substantia, de qua dicit, quod substantia Dei, materia caret. Item, omni practica aliqua speculativa, est nobilior: nulla autem est nobilior ista, ergo, &c. Probatio primæ, tum, quia speculativa est sui gratia: practica vero gratia usus: tum quia speculativa est certior, primo Metaphysica. Item, hæc inventa est omnibus necessariis existentibus, propter ipsam ignorantiam (d). Quod apparet, quia sollicitudo circa necessaria impedit ab inquisitione huius doctrinæ: ergo ipsa est speculativa: sic enim arguit Philo sophus 1. Metaphysica, quod Metaphysica, est speculativa (e). Contra ad Roman. 13. Finitis legis est dilectio. Item Mat. 23. In his duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ. Itē Aug. de laude charitatis: Ille tenet quodquid latet, & quodquid patet in divinis sermonibus, qui charitatem servat in moribus. Hæc autem auctoritates probant, quod ista scientia non est præcise propter speculativa: speculativa autem ultra speculativa nihil requirit, secundum Avic. primo Met.

Secundo quarto (c), utrum ex ordine ad praxim, ut ad finem, dicatur per se scientia practica (d)? Arguitur, quod sic, tertio de Anima, dicit Philo sophus: intellectus extensus non fit practicus: & dicitur a speculativa sine. Item primo Metaphysica. Practica est minus nobilis, quam speculativa (e), quia est gratia usus. Hoc argumentum non teneret, nisi usus esset per se finis illius habitus. Item secundo Metaph. Finitis speculativa veritas, practica autem opus. Contra 6. Metaph. distinguit Philo sophus (f) practicas a speculativis penes obiecta, & non penes fines: sicut patet ibi. Distinguit enim scientiam (g. tam activam, quam passivam a speculativa, penes obiectum. Item 6. Eth. distinguit rationativam a scientifico (h. penes obiectum necessarium, & contingens: & tertio de Anima, assignat obiectum practice bonum (i) non quod contingens, sed agibile, & contingens: ergo scientia est practica per se ex obiecto, non igitur ex praxi, ut a fine.

Ad istas questiones solvendas accipio unum generale, quod ab omnibus conceditur: quod habitus practicus, aliquo modo extenditur ad praxim. In speciali igitur primo videndum est, quid sit praxis, ad quam dicitur cognitio practica extendi. Secundo, qualiter cognitio practica extendatur ad ipsam praxim. Tertio, a quo cognitio habet talem extensionem.

Dico igitur primo, quod praxis, ad quam cognitio practica extenditur, est actus alterius potentie quam intellectus, naturaliter posteriori intellectione, natus elici consensu rationi rectæ, ad hoc ut sit actus rectus. Prima conditio apparet, quia stando præcise in actibus intellectus, nulla est praxis: quia nulla est extensio intellectus, quia non extra se extendit, nisi ut actus eius respiciat actum alterius potentie. Et si dicatur unum intellectus extendi ad alium directum per illum; Non propter hoc, secundus est praxis, ut modo loquimur, nec primus est cognitio practica, quia tunc Logica esset practica, quia dirigit in actibus discurrendi. Secunda conditio patet quia actus non habentes ordinem

109. I.

D

ad

a Addit. D. Tho. 1. p. q. 1. ar. 2. § 2. 2. q. 1. ar. 5. b Hac clarius in rep. quest. 2. prol. § in 3. d. 2. c Tric. 96. § 91. idem 6. Ethic. l. 1. c. 1.

a In proæ. b In proæ. c Cap. 1. d T. c. 49. e In proæ. f T. cap. 3. g T. c. 2. h Cap. 1. d. c. 1.

ad intellectum, cuiusmodi sunt actus vegetativi, aut actus naturaliter precedentes intellectionem, ut actus sensitivi, non dicuntur praxēs, nec dicitur ad eos extendi notitia practica, ut sunt priores intellectione, Similiter actus appetitus potentie sensitivæ, quatenus precedunt actum intellectus, non sunt praxēs; hoc enim modo communes sunt nobis, & brutis: nec respectu istorum actuum est cognitio practica, nisi ut aliquo modo est moderativa istorum actuum; & isti actus sequuntur intellectionem moderativam, ut sunt per ipsum moderati. Ex his duabus conditionibus sequitur corollarium, quod praxis, ad quam extenditur habitus practicus non est nisi actus voluntatis elicitus, vel imperatus. Quod patet: nam nullus alius actus ab actu voluntatis elicito, vel imperato, est essentialiter posterior intellectione: quia quicumque alius dicitur, aliquis eisdem rationis cum illo, potest esse prior, sicut patet discutendo per omnes actus, aliarum potentiarum. Hoc patet secundo sic, quia praxis est actus, qui est in potestate cognoscens, quod probatur ex 6. quia artifex eget virtute (a), id est, arte, ad recte agendum: non autem indiget virtute respectu illius, quod non est in potestate sua: ergo artifex in potestate sua habet fabricationem, & multo magis prudens habet in potestate sua actionem, qua est formaliter virtuosus. Ex hoc ultra, si omnis praxis est in potestate cognoscens, & nihil est in potestate eius, nisi actus voluntatis elicitus, vel imperatus, sequitur propositum, ut prius.

Contra istam conclusionem videtur sequi, quod tunc aliqua intellectio erit praxis: quia aliqua intellectio potest esse actus imperatus voluntatis, sicut actus alterius potentie imperatur ab ipsa, & tunc ultra: ergo prima conditio est falsa, scilicet quod praxis est operatio alterius potentie ab intellectu.

Respondet, licet speculatio sit quedam operatio, & ita praxis, sic extendendo nomen: tamen ut praxis dicitur sola operatio, ad quam intellectus potest extendi, nulla intellectio est praxis, & hoc modo accipitur, quando ad praxim cognitio practica dicitur extendi. Cum igitur dicitur, *intellectio est imperata a voluntate, ergo est praxis*, ipsa enim nata est denominari quasi accidentaliter a praxi, ad quam extensibilis est, non autem est terminus talis extensionis. Tamen e converso bene conceditur, quod omnis praxis est actus elicitus voluntatis, vel imperatus. Unde ex ista secunda conditione, inferre oppositum primæ, est facere fallaciam consequens, ponendo consequens.

Tertia conditio probatur ex dicto Philosophi 6. Eth. quod electio recta necessario requirit rationem rectam. Quod non tantum verum est de electione strictè sumpta, sed pari ratione de qualibet volitione recta, quia ipsa requirit rationem rectam, cui conformiter elicitur: omnis autem praxis, vel est volitio, vel sequens volitionem, ex corollario precedente: ergo omnis praxis (ad hoc, ut sit recta) nata est conformiter elici rationi recte. Item ex dicto August. 15. (b) de Trin. cap. 7. Intellectus intelligit sibi, & aliis: ergo sicut potest iudicare de actu suo,

ita

ita potest iudicare de actibus aliarum potentiarum: ergo de actu naturaliter posteriore actu suo, potest iudicare prius naturaliter, antequam actus ille eliciatur: & per consequens si recte iudicet, oportet illum actum conformiter elici, si debeat esse rectus.

Ex duabus conditionibus ultimis praxis, sequitur quod actus imperatus a voluntate non est primo praxis, sed quasi per accidens: quia nec primo est posterior intellectione, nec primo actus elici conformiter rationi recte. Oportet igitur aliquem alium actum esse primo praxim: iste non est nisi volitio, quia per istum habet actus imperatus dictas condiciones: ergo prima ratio praxis salvatur in actu elicitio voluntatis.

Tunc ultra, quodcumque aliquid est primo tale consuetum cum alio posteriore, si potest separari ab illo, adhuc esset tale: si igitur actus voluntatis potest separari ab actu alterius potentie, separatus ab illo posteriori, ille est praxis; separatur autem circa quodcumque obiectum, circa quod potest esse actus voluntatis, circa quod non potest esse actus inferioris potentie, cuiusmodi sunt omnia immaterialia: ergo circa omne tale est actus voluntatis, & iste solus est praxis. Secundo, hoc idem probatur ex intentione Philosophi 3. de Anima (a), ubi inquirens principium motivum, postquam conclusit duo esse motiva, videlicet appetitum & rationem, subdit: *Intellectus non movet sine appetitu, voluntas autem, appetitus est*: & consequenter ostendit, quod appetitus duo, quandoque sunt sibi contrarii. Ideo est ponere quatuor movens specie: quia duobus appetitibus communis est ratio (speciei intermedie, videlicet ratio appetitus. Uult ergo expressè, quod sicut appetitus sensitivus habet rationem principii motivi, cum sensu, & phantasia: ita voluntas habet rationem principii motivi cum intellectu, & ratione: igitur sicut actus appetitus sensitivi sine quocunque transitu ad extra est vera praxis, quando sequitur actum intellectus: ita & actus voluntatis, qui ponitur æque principium motivum, est vera praxis: quia semper sequitur actum intellectus: & hoc, etiam si sit solus sine actu imperato, immo cum actu in appetitu sensitivo, opposito illi, quem imperaret: quia ipsa ut habens appetitum sensitivum quandoque contrarium, est principium motivum, & operativum, cuius operatio sit praxis.

Ex hoc articulo patet secundus. Nam illa extensio consistit in duplici relatione aptitudinali, scilicet conformitatis, & prioritatis naturalis. De prioritatis patet, per illud, quod jam adductum est in primo articulo de 6. Eth. de conformitate autem habetur ibidem, ubi dicit, quod veritas considerationis practice, est confessio se habens appetitui recto.

Contra: De necessitate actus intellectus prior est actu voluntatis actualiter, quem ponit primam praxim (b). Verum est, sed non sequitur necessario ad ipsum de necessitate actualiter actus voluntatis, qui est praxis. Contra: Tunc quilibet cognitio esset practica, quia ad quamcumque actualiter, apta est, sequi volitio recta, ei conformis in bonitate, quam ponit remans praxim. Præterea, Aptitudo, qua convenit uni naturæ, & repugnat alteri, non videtur nisi propter aliquid intrinsecum in ea; ergo oportet, dare aliquid propter quod ista con-

D 2

for-

formitas ad praxim convenit sibi habitus, & repugnat alteri. Ad primum dicendum, quod non est verum de omnibus cognoscibilibus, sed cognitionibus, & hoc est ratio praxi. Ad secundum: Dicendum, quod hoc est tantum ex objecto.

Dixi appetitinali, quia neutra relatio requiritur actualis. Quod autem praxis actualiter sequatur considerationem, quae conformis sit ipsi considerationi, hoc omnino est accidentale ipsi considerationi, & contingens. Si igitur ab actuali extensione diceretur practica, nulla esset necessitas practica: sed eadem quandoque practica, & quandoque speculativa, quod nihil est: ergo sufficit duplex appetitinalis extensio sive aptitudo ad extensionem.

Hoc declarat, quia communiter conceditur cognitionem practicam extendi ad praxim ut dicitur ad modum, sive ut regulativam ad regulam. Cognitionem autem esse priorem naturaliter praxi, & conformem, non est esse conformatae praxi quasi priori: sed esse conformativam praxi, quasi posterioris: sive esse cui praxi sit conformanda, quod est cognitioem dirigere & regulare practica. Utrum autem sic dirigere, vel conformare sibi praxim sit aliquid efficientia in cognitione respectu praxi: de hoc 25. dist. secundi libri.

Ex isto secundo patet, quod practicum, & speculativum non sunt differentiae essentiales scientiae, vel notitiae in communi, quae est quoddam absolutum, quia practicum dicit duplicem respectum notitiae appetitinalis, ad praxim ut ad terminum: speculativum autem, privat illum respectum duplicem: nec respectus, nec privatio ejus est de essentia absolutae, sed est quasi de visio generis per proprias passiones specierum, sicut si dividatur numerus per par, & impar; vel linea per rectum, & curvum; al cui autem notitiae convenit practicum per se secundo modo, ex causa intrinseca praedicari in subiecto, alicui speculativum.

Confirmatur a 1. a 1. Quia aliqui practica magis convenit convenientia essentiali cum scientia alicui speculativa, quam una speculativa cum alia: sicut magis convenit speculativa Medicinae cum practica Medicina, quam Musica cum Geometria. Contra; & divisio, vel distinctio notitiarum ab objectis est essentialis. Respondet, verum est, prima distinctio, quae est secundum essentialem differentiam, est essentialis, & ab objectis, ut a causis extrinsecis; sed ab eisdem potest esse aliqua distinctio posterior non essentialis.

Circa tertium articulum sunt opiniones (b). Una est talis quod ab alio dicitur intellectus practicus, & ab alio habitus, vel actus. Hoc ostenditur, quia verum operabile, & non operabile, sunt objecta specialia formaliter diversa, ideo per se distinguuntur illa, quae per se respiciunt ipsa, puta habitus, & actus, qui dicuntur illa, quae per se respiciunt: sed intellectus non dicitur practicus, nisi sit operativus, qualis non est nisi illud quod apprehendit, ordinet ad opus, quod non fit, nisi motus ex appetitu finis: ita quod practicus intellectus includit in suo actu (non formaliter, ut aliquid de essentia actus, sed connotando) ordinem necessarium ad desiderium finis explicitum, & eorum, quae sunt ad finem implicite.

Qua-

Quapropter cum speculabile ordinari ad opus accidat speculabili; licet non accidat ei ordinabile esse, differentia inter intellectum speculativum, & practicum inde proveniens, erit accidentalis, & per respectum ad aliquid extra intellectum, licet differentia habituum, & actuum sit formalis secundum differentiam formalem objecti operabilis, & non operabilis. Unde in tertio de Anima (a), dicitur, quod intellectus speculativus, & practicus differunt sine (b), & ex 6. Ethic. Bonum in intellectu practico est verum confesse se habens appetitu recto. Exemplum; intellectus speculativus apprehendit sanitatem, ut bonum conveniens; appetitus vero appetit illam, & sequitur aliquo modo consilium intellectus practici, quod sanitas est acquirenda: stante itaque desiderio finis, intellectus practicus ex hoc principio illud, per quod melius potest acquiri, est procurandum procedit discurrendo, & terminatur discursus in ultima conclusione consilii: & totus ille discursus, sicut sumit principium ex apprehensione finis desiderati, qui est primum obiectum intellectus practici: ita est, ut illa inventa, ad finem operetur, & ideo voluntatem finis praesupponit, & ad electionem sequentem consilium ordinatur.

Contra hanc opinionem, quae, ut breviter dicam, in hoc consistit, quod distinctionem intellectus practici, & speculativi, ponit penes finem, qui accidit objecto: sed habitus speculativi, & practici differunt penes obiectorum specialium differentiam formalem. Arguitur. Quia de habitibus dicitur secundo Met. Finis speculativa est veritas, practica autem opus. Similiter, tunc habitus practicus erit in intellectu speculativo, nec intellectus illo habitu dicitur practicus; quod videtur inconveniens, quia omni habitu denominatur habens secundum naturam convenientem.

Respondet ad primum, quod scientia practicae finis est opus in potentia, & aptitudo, inquantum ejus obiectum est operabile per se: ad obiectum operabile consideratur secundum illum habitum in universalibus; quae consideratio non sufficit ad hoc, ut subiciatur operationi in actu, & in particulari. Et quia actus est melior potentia in bonis, ideo requiritur talis consideratio particularis, & in actu: ita autem est per alium habitum a scientia practica, & iste habitus alius solum est in intellectu practico. Ad secundum dicitur, quod denominative potest dici practicus, non simpliciter, sed secundum quid; scilicet intelligendo denominationem fieri ab habitu.

Contra, igitur habitus, & actus practicus possunt esse in intellectu speculativo: quia habitus, vel actus ex natura sua practicus, potest esse in intellectu sine tali relatione ad actum voluntatis, qualem ponit. Consequens concederet: sed alium habitum poneret posse haberi in intellectu practico ex actibus, non tantum practici, sed ex actibus intellectus practici, generatum.

Contra, (c) habitus practicus generatur ex actibus practici, sufficeret ad ea, ad quae ille habitus generatur ex actibus intellectus practici, dirigeret: quia voluntas imperat considerationi propter talem finem, non

D 3

dat

a Ad 1. b Goff. quodlibet. q. 11

a Tex. 43. b Cap. 3. c Impugnatio responsionum, Goffredi
Duplex in intellectu habitus.

dat aliam rationem considerationi in dirigendo, nec per consequens habitus generato ex considerationibus. Item tunc multa accidentia ejusdem speciei essent in eodem. Non enim propter ordinem voluntatis, & non eodem, potest poni distinctio specifica actus hujus, & illius; similiter nec habitus.

Item tertio contra opinionem in se, subiectum magis denominatur a per se conditione sui accidentis, & essentiali, quam a conditione ejusdem accidentali: ergo si intellectus potest dici practicus ex conditione accidentali sui habitus, puta ex ordine voluntatis ordinantis actum ejus ad aliud; multo magis potest dici practicus ex ordine essentiali actus, quo actus dicitur esse essentialiter practicus. Ideo ab eodem videtur intellectus dici practicus, a quo habitus, & actus, licet non ita accidentaliter dicatur illud de habitu, & actu, sicut de intellectu, respectu cuius est accidens per accidens.

Aliter dicitur, quod illud, a quo habitus, & actus dicuntur practici, est finis, & extensio cognitionis practicae ad proximum, quae est extensio ad finem. Pro hac opinione sunt auctoritates posita prius. Arguitur etiam per rationes sic. (a) Primo, quia aut habitus dicitur practicus ab objecto, aut a fine. Quod non ab objecto, probatur, quia intellectus extensione fit practicus; quod non est verum, nisi de eodem intellectu prius speculativo, & posita practico, extensio ad opus; igitur circa idem objectum potest esse consideratio practica, & speculativa.

Secundo sic: quia Medicina dividitur in speculativam, & practicam; & tamen ipsa est de aliquo eodem subiecto, ut de sanitate, vel de corpore sanabili. Item, actus dicitur practicus, quia bonus, vel malus moraliter: bonitas & malitia moris continentur ad eum circumstantiis: inter circumstantias autem prima, & praecipua est circumstantia finis.

Contra istam positionem quatuor, ab habitus, & actus dicuntur practici propter extensionem actualem ad opus, vel tantum propter extensionem apertitudinaliter, non propter actualem, ut habetur in 2. a. art. Et ipsi concedunt: quia tunc faber non actu operatur, non habet cognitionem practicam: ergo propter extensionem apertitudinalem, sed apertitudo non convenit uni naturae, quae repugnat alteri, nisi propter aliquid absolutum in tali natura (quia enim haec natura est talis, ideo sibi convenit talis apertitudo) igitur praesupponit in illa consideratione aliquam conditionem intrinsecam, per quam sibi conveniat apertitudo talis: ista conditio considerationis in se est ab aliqua causa ejus priore, causa autem ejus prioris, sunt intellectus & objectum: ergo sibi convenit ab aliquo objecto, vel intellectu: non ab intellectu, quia tunc omnis consideratio esset practica, cum omnes sint in intellectu, & omnium sit unus intellectus.

Si dicatur quod etiam finis est causa prior, immo prima inter omnes, secundum Avic. 6. Metaph. (b) & ita ab ipso potest esse conditio talis naturae, ut ei conveniat talis apertitudo; Contra, si finis non est causa, nisi inquantum amatus, & desideratus, movet efficiens ad efficiendum: sed apertitudo dicitur convenit considerationi, sive sit finis amatus, sive non: potest enim in intellectu esse talis cognitio, qualitercumque voluntas

se

se habeat, immo etiam si voluntas non esset conjuncta intellectui: & ita a fine, tanquam a finali causa, non convenit apertitudo ista cognitioni, nihil enim inest ab aliqua causa, quod inest, illa causa non causante.

Si dicas, finis apertus natus est amari antequam apertitudo ista inest cognitioni; Contra, hoc non salvat propositum; quia effectus nihil habet ab aliquo causante, quia illud natum esse causare, nisi actu causet: ergo cognitio non habet apertitudinem, sive naturam istam, quam consequitur talis apertitudo a fine apertitudinaliter causante, nisi actu causet, non autem causans actu, ut causa finalis, nisi ut actu amatus, & desideratus moveat efficiens ad agendum.

Præterea, aut finis ut elicitor, & habitus extra, facit habitum esse practicum: aut finis consideratus, aut intentus. Non ut elicitor, & habitus extra, quia sic est posterior habitus, & effectus aliquo modo: effectus autem non distinguit causam. Si ut cognitus, sic habet rationem objecti: ergo objectum distinguit. Si autem ut intentus, hoc jam est improbatum, quia naturaliter antequam intendatur est cognitio talis.

Præterea si scientiam esse (a) practicum, & ordinatam ad proximum, ut ad finem, convertantur; ergo moralis scientia non est practica. Consequens est contra Philosophum (b) 1. Eth. & 10. Consequentia arguitur, quia finis ejus est felicitas, quae secundum ipsum 10. Eth. consistit in speculatione, non in praxi.

Si dicatur, quod felicitas est finis remotus, sed finis propinquus est praxis, scilicet dirigere in actum virtutis propter felicitatem; Contra, ad dirigere non ordinatur necessario nisi apertitudinaliter, necessario autem est practica: ergo hoc erit (secundum dictam responsum) quia apertitudinaliter ordinatur ad dirigere, hoc est idem, quod directivum esse: igitur est practica, quia directiva: sed esse directivam, & esse practicam idem sunt, ex secundo articulo. Ex dicta igitur responsum sequitur, quod ipsa est practica, quia est practica, hoc nihil est. Item dirigere est actus intellectus, quia ejus est habitus, scilicet prudentia, a quo est iste actus elicitor: nullus autem actus intellectus est praxis, ex primo articulo.

Ideo dicitur aliter, quod finis scientia moralis sicut, & prudentia, est actus virtutis moralis, ad quem ordinatur: & ille actus est praxis.

Contra, non omnis cognitio practica finis est praxis, aliqua enim est intellectio practica respectu praxis potentiae inferioris, puta appetitus sensitivi, vel motiva potentiae, nullus autem actus potentiae inferioris est finis actus intellectus: quia nihil ignobilius est per se finis nobilioris: actus intelligendi est nobilior, & perfectior quocumque actu cujuscumque potentiae inferioris sensitivae.

Dicitur, quod licet intellectio sit nobilior in esse naturae, quam operatio potentiae inferioris, non tamen in genere moris: quia melius moraliter est fortiter agere, quam cogitare fortiter agere.

Contra hoc dupliciter. Primo, quia falsum supponitur. Nam actus potentiae inferioris non est bonus moraliter, nisi quia conformatur rationi rectae, ut regulae suae: ergo respectu rationis est causa bonitatis talis in actu isto, & non e converso: sed actum rationis esse sic regulam, est ipsum

D 4

esse bonum moraliter, sicut intellectio potest esse bona moraliter. Confirmatur, quia prudentia est simpliciter nobilior virtute morali; ut est in appetitu sensitivo: igitur & actus ejus, ut ejus, est melior actu illius ut illius: igitur iste ut practicus (sicut potest intellectio esse practica) est melior illo: ut practico sive bono moraliter. ex hoc patet; quod probatio de cogitare fortiter agere (a), non valet: quando enim queritur excellentia tunc ad alterum, non debet comparari optimum ad infinitum, sed optimum ad optimum, vel simpliciter ad simpliciter. Sicut ergo est accipere optimum ibi, puta fortiter agere, ita est accipere in intellectu dicere secundum prudentiam fortiter agere. Hoc secundum est melius etiam moraliter: quia ut regula habet bonitatem formalem, moralem, quae est relictio propria, aliud est tantum bonum materialiter, quia ex se non est bonum moraliter circumscribendo ordinem ad regulam illam, & ad voluntatem imperantem. Secundo; & responsio illa, non videtur ad propositum. Quiritur enim unde intellectio sit practica, non jam supponendo eam esse practican; potissime etiam nec supponatur de ipsa prima circumstantia, quae est finis, sed inquiratur: igitur cum queritur de intellectu practica, & prima circumstantia: a qua fit practica, ipsa tantum accipitur, ut est illud, quod est in esse naturae. Igitur sic distinguere de ipsa secundum bonitatem moris, & naturae nihil aliud est, quam praesupponere, quod queritur, & distinguere aliud prout consideratur prae se habet altero membro distinctionis. (b) Ideo corrigitur ista opinio ab aliis, & dicitur, quod habitus dicitur practicus a fine qui est consideratio practica: proprius enim finis cuiuscunque habitus est actus ejus. Sed contra illud, si consideratio illa, quae est finis habitus, est practica, ergo ipsa habet causam, ex qua dicitur practica: aut ergo finem illius considerationis, & hoc jam inprobatur est; aut & blicum, & tunc sequitur, quod ipsum obiectum est prior causa, a qua tam habitus dicitur practicus, quam consideratio ipsa: & tunc habetur propositum, quod ab obiecto tam habitus (licet mediate) quam actus dicitur practicus.

Concedo ergo, quod habitus non dicitur primus practicus ab actu proprio: quia ille est practicus a causa prioris, nec cognitio aliqua habitus, vel actualis est per se practica, quia ordinatur ad praxim, ut ad finem. Potest tamen quandoque habere primam extensionem, scilicet conformitatem ad praxim, a fine ipsius praxis: non tamen in quantum est finis, sed in quantum est primum obiectum. Primum patet: quoadque enim prima principia practica sumuntur a fine praxis, & ita ille finis, & causa prima in genere isto, includit virtualiter totam notitiam, & ita ipsa notitia habet quidditatem suam & aptitudinem ab illo fine. Secundum patet. Ideo enim finis praxis dat obiectum aptitudinem sive naturam habentem talem aptitudinem, quia ut obiectum primum includit principia, & mediantibus illis conclusiones, & ita totam notitiam practican: non autem in quantum finis. Tum quia a fine, ut finis est, nulla natura, vel aptitudo naturalis habetur, nisi ut amato, & desiderato, & sic movet efficiens. Prius autem natura quam amatur, includit talia principia,

plia, & conclusiones: veritas enim principii practici necessarii non dependet a voluntate, magis quam speculativi, nec conclusiones necessariae illatae ex tali principio. Tum quia quodunque aliud includit virtualiter talem notitiam. Eodem modo daretur notitia conformitatem talem: puta, si ipsa praxis includeret primo in genere isto talem notitiam, vel illud circa quod est talis operatio, sicut quandoque contingit, sicut fuit tamen in responsione ad tertium argumentum in questione prima de subiecto Theologiae. Homo enim forte est subiectum tam moralis scientiae, quam medicinae, non autem felicitatis vel finitatis: quia utriusque finis ratio includitur in ratione illius, circa quod est praxis. Si dicatur, quod principia prima practica semper sumuntur a fine: ergo semper finis primo includit virtualiter notitiam eorum, si concederetur consequens; tamen statet quod non in quantum finis, sed in quantum est obiectum. Et tunc posset dici, quod homo est finis, tam finitatis, quam felicitatis naturalis, ut tangitur in responsione practica, sed taliter non est finis proximus praxis. Quod si negaretur consequens, negandum esset antecedens universaliter sumptum, quod particulariter est verum, ubi scilicet ratio finis non concluditur ex aliquo pertinente ad cognitionem practican. Vel aliter posset exponi antecedens sic: prima principia, & verum est inter illa, quae funtuntur ex circumstantiis moralibus praesupposito actu bono secundum genus quia sic obiectum non est circumstantia. Alio modo accipiendo actum nude, & sic obiectum est circumstantia. Et ex illo videtur antecedens inprobatur, a quo enim sumitur prima circumstantia actus nude consideratur, videtur esse prius quocunque alio: & ita obiectum, a quo specificatur primo actus, ut dicatur bonus ex genere circumstantionabilis ulterius alius circumstantiis, ut sit plene moralis: videtur omnino primum in cognitione practica. Et hoc non oportet modo praesequi, ut concludat, vel non: quia in tertio libro habet locum. Brevis ergo ad hunc articulum dico, quod scientia practica non habet primam extensionem sibi competentem a fine, in quantum finis, propter rationes primo adductas.

Ex hoc patet solutio secundae quaestionis propositae, cuius tenore partem negativam: sed primam relationem, scilicet conformitatem habet per se ab obiecto, quod vel est relictio praxis, vel aliquid virtualiter includens ipsam relictionem: & ideo cognitioni illi praxis est conformabilis, ut sit recta, quia cognitio est talis cognitio. Sed de alia relatione, scilicet de prioritate, est dubium, unde: conveniat cognitioni. Dico quod praxim necessario naturaliter praecedit alia cognitio, sicut patet ex 1^a arti. & secundum hoc, praxi convenit postior oritas, & cognitioni prioritas, ex ratione potentiarum ordinatarum naturaliter in agendo, scilicet intellectus, & voluntatis. Sed non semper ista intellectus prior est practica, sed tantum, quando est determinativa relictionis respectu ipsius praxis: & hoc vel formaliter, vel virtualiter. Quando autem in apprehensione praxia nulla est determinatio formalis, vel virtualis de relictione praxis: licet ibi sit prioritas, tamen tunc deficit conformitas: quia ipsa non est, cui debeat praxis conformari, ut sit recta, quia nihil determinate ostendit de relictione praxis. Quando etiam in apprehensione praxia est determinatio de relictione praxis, sed potentia

cujus est praxis, non est aliquo modo determinabilis aliunde; tunc illa cognitio, licet determinativa, non est conformativa praxis: & ideo non habet conformitatem priorem in ratione regulæ dirigentis, nec sic est plenè practica. Potest igitur dici, quod licet absolute ex natura intellectus, & voluntatis sit cognitio prior: tamen quod cognitio conformis sit prior, hoc est simul ex objecto, & ordine poteritur, & ratione potentia sic practicantis, scilicet voluntatis, quæ sic aliquomodo regulabilis aliunde. Nam si obiectum determinat intellectum ad cognitionem rectitudinis, prius naturaliter quam voluntas velit, & voluntas sit aliquo modo regulabilis aliunde; non tantum apprehensio præcedit praxim, sed apprehensio conformis. Hoc autem accidit, quandoque determinata rectitudo praxis est cognoscibile necessarium, sive ut principium per intellectum, sive ut conclusio per scientiam.

Hæc autem (a), quæ jam dicta sunt, de hoc videlicet, unde duplex relatio scilicet conformitatis, & prioritatis conveniat notitiæ practicæ, intelligitur generaliter, nisi oporteat pro intellectu divino aliquid addere, videlicet, quod potentia practicantis, cujus praxi notitia conformis est, prior sit aliquo modo determinabilis aliunde, sive alii tanquam regula conformabilis in agendo. Quod an requiratur ad talem notitiam vel non, tangetur in responsione ad quartam objectionem, quæ sit contra solutionem questionis principalis.

Quando autem rectitudo determinata contingenter convenit praxi, tunc non est obiectum aliquod determinans intellectum ad cognitionem rectitudinis determinatam; antequam voluntas velit: & hoc loquendo de intellectu, & voluntate in communi. Nam illud contingens non determinatur ad alteram partem, ante omnem actum voluntatis. Comparando tamen in speciali ad intellectum hunc, & voluntatem hanc; istam praxim potest præcedere cognitio conformis, quam præcedit cognitio determinativa rectitudinis & quam non, non. Non potest autem præcedere in omni intelligente, sed in illo solo, cujus voluntas non est primo, determinans rectitudinem illi praxi. Exemplum prædictorum: rectitudo hujus praxis, *amare Deum*, recta est, & necessaria, & includitur virtualiter in ratione Dei. Hanc praxim in quocunque, non tantum nata est præcedere simpliciter apprehensio, sed etiam conformis apprehensio, cui scilicet praxis est conformanda, ut sit recta. Ex obiecto igitur, quod est primo ex se determinativum intellectus ad notitiam rectitudinis determinatam ipsius praxis, & ex ordine intellectus, & voluntas in operando, habetur hæc notitia prior praxi, & conformis: & ita in qualibet alia, cui convenit necessario rectitudo determinata: Sed rectitudo hujus praxis, scilicet *colere Deum in sacrificio altaris*, est contingens: quandoque enim est actus rectus, ut modo: quandoque non, ut in veteri Testamento. Ideo non est aliquod obiectum determinativum intellectus ad notitiam hujus rectitudinis ante omnem actum voluntatis; & ideo nec illa præcedit ut conformis, omnem actum voluntatis; alioquin tamen præcedit, pura illius solus, quæ non primo determinat rectitudinem huic praxi, qualis est voluntas humana: hæc enim rectitudo

de-

determinatur à voluntate divina acceptante nunc talem cultum, & alias non.

Hic Visus (a), respondendum est ad primam questionem, ubi sunt quinque viæ tenentes partem negativam questionis. Una dicit sic, declarando. Duplex est actus voluntatis, unus perficiens voluntatem, alius qui perficitur à voluntate. Primus actus est respectu finis: & est operatio practica, quam intra se voluntas elicit, & qua fini ultimo se unit. Secundus actus est respectu eorum, quæ sunt ad finem, unde est actio bona, qua voluntas extra se in aliud tendit: sicut est qualibet actio directiva in finem. In primo actu non indiget voluntas directivo, sed sola obiecti ostensio sufficit: Talis autem actus ad scientiam simpliciter speculative pertinet: in ipso enim est speculatio solummodo, ut voluntati obiectum suæ operationis perfectè ostendat, ut in ipsam statim perfecta operatione tendat. In alio autem actu voluntas indiget directivo: & hic ad scientiam practicam pertinet, quia in ipso est speculatio, ut actionem dirigat, quod est proprium practicæ. Actus autem qui perficitur à voluntate, non est finis hujus scientiæ, nisi finis sui hunc: sed alius, qui perficit voluntatem. Et ex hoc habet illa scientia, quod perfectissimè sit speculativa, quia actus principaliter intentus in illa scientia, est actus voluntatis circa finem, in quo non indiget directivo, sed tantum ostensione obiecti: ergo non est practica, sed speculativa, cum in actu suo principali non indigeat directione. Pro hac viæ est authoritas Augustini in ser. de Jacob, & Esau (b), *Omnia opera nostra sunt, ut mundetur oculus, & quo videtur Deus*. Item, potest argui sic: non requiritur directivum ubi non potest esse error, scientia practica est directiva: igitur scientia beatorum non est practica, quia beati errare non possunt: ergo nec nostra est practica, quia est eadem cum illa beatorum. Item potest argui sic, secundum intellectum illius alibi; quia Deus non habet scientiam practicam: maximè autem habet istam, vel solus est ergo, &c.

Contra hoc sic arguitur, primo rationem positionis eorum duco ad oppositum quadrupliciter, Primo sic: Esti voluntas non potest errare circa finem in universali ostensum, potest tamen secundum eos errare circa finem in particulari ostensum: ergo ad hoc, ut rectè agat circa finem particulariter ostensum, requiritur directiva ostensio. Ostensio autem finis in Theologia est finis, non in universali, sed in particulari, quia ad Metaphysicum pertinet illa ostensio in universali. Unde si beati errare non possunt circa obiectum Theologicum absolute; in aliquo actu tamen possunt: ergo necessario habent cognitionem directivam respectu alicujus actus circa obiectum Theologicum. Præterea. Habitus directivus non ponitur propter substantiam actus, sed propter circumstantiam: sicut temperantia non ponitur propter substantiam actus comendendi, vel estertantia hujusmodi: sed propter circumstantias: ergo licet voluntas esse determinata ad substantiam actus tendentis in finem in particulari, requireretur tamen directio quantum ad circumstantiam illius actus, ad

quam

a Addit. v.

a Henr. in sum. ar. 9. q. 2. in sol. ad 3. ar. 1. quodl. 8. q. 9. b Vide Aug. de verbis Domini, Ho. 18. Henr. quodl. 5. q. 2. & quodl. 8. q. 2.

quam non extenditur dilectio, quæ est circa substantiam actus. Ex istis duobus rationibus arguitur, quia ubicumque contingit in praxi errare, & recte agere, ibi est notitia practica necessaria ad dirigendum: in ista autem praxi, quæ est dilectio finis, ut perinet ad Theologiam, contingit errare dupliciter, ut ostendunt rationes istæ; tum ratione objecti ostensi in particulari, tum ratione circumstantiarum actus: ergo, &c. Præterea, tertio sic (a): Cujus dilectio principaliter intenditur extra genus cognitionis, ejus cognitio principaliter intenditur intra genus cognitionis: dilectio vero finis per eos, principaliter intenditur extra genus cognitionis: ergo cognitio finis principaliter intenditur in genere cognitionis. Sed in qualibet scientia intenditur principaliter cognitio sui subjecti primi: ergo finis est principale subjectum istius scientiæ. A fine autem sumuntur principia practica: principia practica concludunt conclusiones practicas: igitur ista scientia, quæ primo intendit dilectionem in finis extra genus cognitionis, est practica. Præterea ad idem genus secundum praxim vel speculationem, pertinent principia, & conclusiones: conclusiones enim practice resolvuntur in principia practica, non speculative: ergo cura cognitio finis sit dilectiva in actibus circa ea, quæ sunt ad finem, & cognitio eorum, quæ sunt ad finem, sit quasi inclusa in cognitione finis quasi principii; si cognitio eorum quæ sunt ad finem sit cognitio conclusionum practicarum: ergo cognitio finis erit cognitio practica; quia de principio practico. Sic patet responsio ad rationem ejus primam, quia falsum accipit, quasi voluntas esset determinata ex se, quod improbat dux rationes primæ. Similiter si voluntas esset determinata, adhuc tamen cognitio esset practica, sicut probant ultimæ dux rationes. Ad auctoritatem (b) eorum dico, quod videtur concludere, quod visio Dei est finis hujus scientiæ; quod ipsi non concedunt. Respondeo igitur, quod auctoritas loquitur de illis operationibus exterioribus, quæ sunt jejunia, vigiliae, & orationes: quia actus quicumque exterior natus est conformari alicui actui interiori, à quo habet suam bonitatem, & etiam ad aliquem interiore ordinari, & finaliter ad ve se. Ad tertium respondeo, quod sicut agens per se intendit in lucere formam, nec intendit remotionem contrarii nisi per accidens: ita habitus per se dirigit, per accidens autem excludit errorem. Et si habitus est perfectus non comparatur secum errorem: immo si comparatur, est imperfectus. Beati igitur, licet non possint errare, non sequitur, quod non habeant habitum, etiam dilectivum: quia eo per impossibile circumscripto, errare possent: sed eo posito, prout per perfectionem ejus, excluditur omnis error. Ad quartam dicitur infra post solutionem hujus questionis primæ solvendo quartam objectionem contra eam.

SECUNDA Via ponit (c) quod licet dilectio finis rectè possit elici, & non rectè, negat tamen dilectionem finis esse praxim, quia non est circa objectum contingens. Dicit autem Commen. i. Ethic. quod praxis est operatio secundum electionem: electio autem est tantum circa contingens, ex 3. Ethicor. quia est appetitus consiliativus: consilium vero non

a Henr. quodl. 13. q. 2. b Henr. quodl. 1. q. 9. §. 14. c Varr. lib. 1. q. 4. l. lib. 2. c. 5. idem 6. Ethic. c. 2.

non est nisi de contingente. Ex hoc etiam probatur descriptio praxis posita in primo articulo questionis, esse insufficientis, quia omittit objectum practicum. Consequenter dicit hæc via nullam notitiam esse practicam, quæ extenditur ad volitionem ultimi finis tantum, quia non est verum contingens.

Contra istam viam est quarta ratio posita contra præcedentem. Item, vera praxis est illa operatio, ad quam inclinatur virtus appetitiva; quia quilibet talis virtus est habitus electivus e. 2. Ethic. (a), electio autem est praxis, ut ostenditur contra tertiam viam statim; sed ad dilectionem finis inclinatur non tantum charitas, sed amor acquisitivus habitus, qui est virtus appetitiva, quia habitus appetitivus consonus rationi rectæ. Motivum vero huius viæ solvitur in solutione secundæ rationis principalis ad primam questionem.

TERTIA Via ponit, quod vel volitio non est proprie praxis, sed tantum actus ea posterior: vel si ipsa est praxis, hoc non est nisi in ordine ad actum aliquem (b) imperatum potentie inferioris, pura, appetitus sensitivi, vel potentie motive, vel huiusmodi. Pro hæc via tertia arguitur, quia omnis praxis sequitur electionem. Quod probatur per Philosophum 6. Ethic. (c) *Actus principium est electio, non est in praxi, sed unde movetur, id est non finale, sed effectivum: principium autem effectivum naturaliter præcedit effectum: ergo, &c.* Præterea habitus practicus generatur ex praxibus: sed habitus practicus generatur ex actibus sequentibus electionem: igitur illi sunt praxes. Item Commentator super 1. Eth. *Praxis est operatio secundum electionem; ergo praxis sequitur electionem.*

Contra istud, scilicet quod non tantum actus sequens electionem sit praxis, probatur. (d) Quia 6. Eth. dicit Philosophus, quod non est electio recta nisi ratione recta, & habitus virtutis: ergo virtus per se requiritur ad electionem rectam. Non requireretur autem, si esset habitus generatus ex actibus posterioribus electione: quia tunc non inclinaret per se, nisi ad actus illos posteriores electione. Præterea, sub alia forma arguitur idem, quia habitus est eisdem actibus generatur, ad quos inclinatur ex secundo Ethic. (e) sed virtus moralis per se inclinatur ad electionem rectam, quia, ut apparet per distinctionem ejus, secundo Ethic. *Virtus est habitus (f) electivus, &c.* igitur ex electionibus per se generatur virtus moralis, & per consequens non tantum actus electionem sequentes sunt praxes. Præterea, non solum falsum est negare electionem esse praxim, quod arguitur ratione jam facta, sed sicut probatum fuit in primo articulo, actus voluntatis elicitus est primo praxis, & imperatur non nisi propter ipsum: ergo si electio sit sola sine ordine ad alium imperatum, puta propter defectum materie actus exterioris, ipsa sola vero erit praxis. Hoc declaratur sic: non habens pecunias, cui tamen in phantasmate præsentetur pecunia, antequam aliquis actus electio sit principium effectivum, vel ordinatur ad aliquod imperandum, si eligat illas liberaliter distribuere, si habeat, quantum ad actum, & habitum virtutis, non re-

a Cap. 7. b Henr. quodl. 1. q. 3. ad 4. c Cap. 3. d Cap. 2. §. 3. e Cap. 5.

requiritur ulterior profectio: quia obiecto presentato in phantasmate, circa quod potest esse actus liberalitatis, complete habetur electio, ex qua generatur liberalitas, vel quae elicitur ex liberalitate: & non requiritur ulterior profectio exterior, nec ordo ad exterius, si materia actus exterioris deficiat. Præterea, ordo ille electionis ad actum imperatum, non potest esse, nisi in causa ad causandum effectum: sed quod causa non sit in se talis esse (ut prior effectus est) sed tantum quia actualiter ordinatur ad efficiendum, videtur inconueniens, cum nihil habeat causa ab effectu, nec ex ordine ad ipsum. Tunc ad authoritatem. 6. *Ethicorum* dico, quod ibidem Philosophus statim subdit, *electiois autem appetitus, & ratio, quæ gratia alicuius, id est, practica sunt, supple, principium.* Ad hoc enim, ut electio fit recta, requiritur virtus in appetitu: Unde sequitur, *Quod sine habita moralis est electio, scilicet recta: igitur virtus habet actum elicium immediatiorem sibi, quam sit ille, cuius electio est principium, ut imperans, prius enim actus voluntatis elicitus, qui est electio, est actio bona, quam actus exterior imperatus ab electione bona sit bonus.* Quod probatur per Philosophum. Ibi enim statim post illud: *Necque sine habitu est electio, subdit bona actio enim sine more non est.* Sed ista fit maior ad probandum, quod prædixit de electione, iumentur ista minor sub: *Bona electio est bona actio.* Concedo igitur authoritatem affirmatiuam, quod electio est principium actus unde motus: quia actus ab ipsa imperatus est actus moralis. Sed ex hoc non sequitur, quod solus iste sit actus vere praxis, immo est electio prior praxis, propter quam etiam ista est bona praxis. Ad secundum, si maior est vera, dico quod habitus practicus generatur ex electionibus, sicut prædictum est de eliciente frequenter liberaliter dare, etiam sine actu imperato, si facultas non adesse, possit in ipso generari liberalitas. Quia tamen quando illi actus imperati sunt impossibiles, voluntas non communiter eligit frequenter, recte, circa materiam istorum actuum: quia quod non creditur alicui possibile, aut ipsum non vult, aut tenuerit vult secundum August. (a) ideo communiter non generatur habitus practicus, qui est virtus sine praxibus imperatis sequentibus electionem, non tamen generatur ex illis sequentibus, sed ex electionibus in quibus est formaliter bonitas moralis: in praxibus autem imperatis est tantum materialiter. Ad tertium de Commentatore, oportet quod ly *secundum*, non sit ibi nota cause efficientis, si descriptio debet esse conuertibilis cum descripto, ut probatum est per Art. 6. *Eth.* sed debet intelligi ly *secundum*, effectiue, vel formaliter. Vel electio accipitur ibi pro libertate, sive potestate denominatiua, vel accipitur electio pro electione actus volendi, quæ non est electio, vel volitio aliqua, sed actio de genere Actionis, Secundum istam electionem, quasi secundum principium actuum est omnis praxis, sive sit electio, sive sequens electionem: quia actio de genere Actionis reducitur ad principium effectiuum.

ISTÆ Tres viæ ponunt Theologiam esse pure speculatiuam: non obstant, quod extendatur ad dilectionem finis; sive ad illam quasi voluntas naturaliter determinetur præcedente ostensione; sive libere, &

con-

contingenter ad illam se habeat, non tamen circa obiectum contingens, & azibile: sive tertio circa quodcumque obiectum, quomodocumque se habeat, non tamen operando, sive in ordine ad actum imperatum, sed sitiendo in proprio actu elicitio. Quod autem talis extensio non concludat prædicam, persuadetur: quia ruc quælibet notitia esset practica, quia quamlibet sequitur aliqua dilectio vel delectatio. Similiter (a) 10. *Eth.* *Felix est Deus amantissimus*, & tamen istam felicitatem ponit Philosophus speculatiuam, non prædicam.

Contra hanc conclusionem communem istis tribus viis instatur. Videtur sequi, quod aliqua operatio est in potestate hominis, ita quod vere sit actus humanus, & tamen, nec est sit proprie speculatio, nec praxis, puta, amor finis: consequens videtur inconueniens. Præterea, quod cognitio diuina in volitione quacumque non sit practica, cum sit veritas confesse se habens appetitui recto, videtur inconueniens: quia talis veritas est proprium opus mentis practice, ex 6. *Ethic.* cap. 3. Quod additur de delectatione, nihil est ad propositum; quia delectatio est passio consequens naturaliter operationem perfectam: & si sit delectatio de speculatione, sive de speculatio, propter extensionem ad illam, nulla ex isto ponitur cognitio practica, quia nec ista est praxis proprie loquendo. Hoc tangitur *dist. 5. tertii lib.* Amare autem, vel desiderare obiectum cognitum, & hoc sic, vel sic circumstantionabile, est vere praxis: nec naturaliter consequens apprehensionem, sed libere, recte, vel non recte elicibilis. Quod autem additur de felicitate, quod sit speculatiua, quia *Felix est Deus amantissimus*, dico quod authoritas non cogit: quia loquitur passive, quasi maxime amatus a Deo, non active, sicut patet ibi. Subdit enim: *Si quidem curam humanorum habere a diis sit rationale, & gaudere ipsos (supple Deos) optimum, & cognatissimum: hoc autem est intellectus, &c. Diligens igitur hoc, id est, intellectiuum, rationale erit Deus reuerentiare, ut amicos, &c. (b)* Sed prætermilla authoritate illa, numquid felix speculatiuam secundum Aristot. amat finem, ut amare distinguitur contra delectari, sive de obiecto speculato, sive de speculatione? (c) Respondeo, 2. *Metaph.* vult Philosophus, quod primum movens movet ut amatum: igitur intelligentia inferior amat primum. Et tamen ipfius felicitatem poneret in speculatione, sicut patet in 10. *Ethic.* igitur ipse sub speculatione, comprehendit, non tantum delectationem: sed amare: igitur nec propter extensionem ad illud, terit notitia practica secundum ipsum, sed speculatiua. Sed quare non tenetur in hoc, cum ratio scientia practice, & speculatiue accipitur ab ipso, & ita dux primæ viæ istam negantes, ponentes Theologiam esse speculatiuam, bene ponunt, & præcipue secundum Philosophum? Respondeo, illud amare, quod poneret in intelligentia, poneret necessitate naturali voluntati inesse, ita quod non contingeret ibi tam errare, & recte agere; ita quod respectu illius notitia esset tantummodo ostensiva, non directiva, nec quantum ad obiectum in particulari, nec quantum ad aliquam eius conditionem, vel aliquam circumstantiam actus volendi. Hoc modo non dicerent Theologi de amare creaturarum intellectualium, respec-

tu

ciū Dōi in particulari, & quantum ad circumstantias. Sic, sicut argu-
tam est contra primam viam in primis duobus rationibus. Si igitur
conveniret nobiscum, ponendo *amare* respectu finis libere, recte, & non
recte posse elici, nec recte elici, nisi elevatur conformiter rationi recte,
non tantum ostenditur obiectum, sed etiam distant, sic esse eliciendum
forte possit respectu talis notitiam praxiam: quia confesse se habentem
appetitū recto. Igitur melius est Theologo, qui habet ab eo discor-
dare in minori, consequenter dicendo, discordare in conclusione, quam
convenire cum eo in conclusione, quam ipse non poneret, si minorem
cum Theologo teneret.

Cum igitur dicis, quod ab ipso accipimus rationem speculativam, &
praxiam: verum est, & in majori convenimus, quod illa est speculativa,
quae licet ad dilectionem extendere, ut ostendens obiectum, si nullo
tamen modo eilet directiva in actu, ut circumstantionabilis est, & ut
hinc obiectum in particulari. Sed ut notem, quam ipse allumeret sub,
habemus negare in proposito. Sed dato, quod talis necessitas ponatur in
Intelligentia ex natura voluntatis amandi Deum, nunquid ita poneret in
voluntate hominis sapientis, quem ipse non ponit natur aliter felicem? Si
non; igitur ille potest dirigi in tali actu. Respondeo praxiam a tali
non negaret, nisi quia felicitatem eius dixit esse speculativam.

QUARTA Via dicit Theologiam esse affectivam. Quod bene intelli-
gi potest, si affectiva ponatur esse quaedam praxia. Si autem affectiva pon-
natur tertium membrum distinctam contra praxiam, & speculativam,
sic est contra dicta in 1. art. ubi ostensum est dilectionem esse ve-
ram praxiam, & etiam contra auctoritates multas, quae sentiant praxem
scientias distinctam in speculativam, & praxiam, & nullum esse tertium
membrum.

Quinta Via dicit Theologiam esse contemplativam, pro qua via ad-
ducit August. 12. de Trin. cap. 14. ubi valet, quod *scientia est respectu
contemplationis, scientia vero respectu actionis*. Cum igitur Theolo-
gia sit proprie sapientia, & non scientia, ipsa non erit praxia, sed con-
templativa. Respondeo, August. 12. de Trin. cap. 4. dicit, quod istae
duae portiones animae, superior, & inferior, non distinguuntur nisi penes
officia, & in utraque tam in superiori, quam in inferiori, est Trinitas;
in superiori autem imago Trinitatis increatae. Et tamen sola superior
portio est contemplativa, quia respicit aeterna: igitur ista contemplativa,
de qua loquitur, non determinatur ad speculationem intra genus scienti-
ae. Continet enim illud contemplativum in memoriam, intelligentiam,
& voluntatem: & ita in contemplativo illo potest esse extensio extra
genus scientiae, sicut potest esse in activo, hoc est, in portione inferiori,
respicente temporalia, quae etiam habet Trinitatem. Si igitur ista est
contemplativa, ut loquitur ibi August. non prohibetur propter hoc, esse
praxia, si extendatur ad praxiam in portione superiori.

ALIA est opinio discordans a praecedentibus in conclusione, quae dicit,
quod ista scientia (a) est speculativa, & praxia. Quod probatur dupli-
citer. Uno modo sic: sicut doctrina illa, in qua scriberentur aliqua de
Iure

Jure, & aliqua de Philosophia, esset speculativa, & praxia, sive scriberentur
in distinctis libris, sive Capitulis, sive intercaliter, & commixta: ita in illa
doctrina simul speculativa, & praxia tractantur, non in diversis libris,
& capitulis, sed intercaliter, & commixta: ergo ipsa est speculativa,
& praxia. Secundo sic probatur, nulla speculativa cognitio distinctius
tractat de operabilibus, quam eorum cognitio sit necessaria ad speculatio-
nem: nec praxia distinctius tractat de speculabilibus, quam eorum re-
quiratur cognitio propter praxiam, ad quam extenditur. Ista autem tra-
ctat de operabilibus distinctius, quam cognitio eorum requiritur ad spe-
culationem, & distinctius de speculabilibus, quam cognitio eorum re-
quiratur ad cognitionem praxiam: igitur ipsa est speculativa, & praxia.
Major probatur; quia speculabilia non consistuntur in scientia praxia,
& nisi propter considerationem praxiam: nec operabilia in speculativa,
nisi propter considerationem speculativam. Minor patet, quia hic
tractatur de operabilibus ita distincte, ac si esset de eis praxie, & etiam
de speculabilibus, ac si esset de eis praxie. Contra istam opinionem ar-
guitur sic. Habitus non habens evidentiam ex obiecto, non distinguitur
secundum distinctionem obiectorum (tunc enim oporteret ponere duas
fides infusas) ille autem habitus non habet evidentiam ex obiecto: igitur
non distinguitur secundum distinctionem obiectorum: igitur non est duo
habitus propter distinctionem operabilium, & speculabilium. Praeterea;
Illa opinio de duobus habitibus, quamvis possit probabiliter aliquam
habere de Theologia, ut tradita est in Scriptura: tamen de Theologia in
se, cujus subiectum primum est essentia divina, ut haec essentia, sicut di-
ctum est de subiecto Theologiae, non videtur probabilis. Nam de isto
subiecto, cum sit verissime unum cognoscibile, nata est haberi primo
aliqua notitia vere una. Si vero daretur aliqua, quae non sit de ipsa essen-
tia, sed de aliquo alio primo, ista alia non erit Theologia in se. Est igitur
unus habitus simpliciter, licet forte cum ipsa possit in Scriptura esse
aliqua alia notitia, quae sit de alio subiecto. Item patet, quod ordo scien-
tiarum secundum eminentiam, stat ad aliquod unum tantum: quia non
possunt duae esse scientiae simpliciter prime, istam unam eminentissimam,
& solam, deo esse Theologiam, quae sola est primo de primo subiecto
Theologiae. Praeterea, deduco rationem eius ad oppositum. Illa cog-
nitio est praxia, in qua non determinatur de speculabilibus magis quam
cognitio eorum pertinet ad praxiam, vel ad cognitionem praxiam: sed
cognitio ista non tractat de speculabilibus distinctius, quam cognitio
eorum requiritur ad cognitionem praxiam, vel praxiam dirigendam:
ergo, &c. Probatio minoris: quaelibet cognitio de conditionibus appeti-
bilis finis, & de conditionibus eorum, quae sunt ad finem, quatenus
sunt ad finem: & tertio de conditionibus quibuscumque hujus, vel illor-
um, circa quas contingit potentiam operativam errare, nisi dirigatur,
est necessaria ad praxiam cognitionem: nulla autem est cognitio hic
tradita de fine, nec de his, quae sunt ad finem, quin sit talis: ergo, &c.
Vel saltem circa ista contingit voluntatem ignorantem errare, sicut di-
citur in solutione tertiae objectionis, contra solutionem quaestions prin-
cipalis. Licet enim Trinitas personarum non ostendat finem appetibili-
tem, quam si esset non Trinus, quia est finis inquantum unus Deus, non

inquantum Trinus: tamen voluntatem ignorantem Trinitatem, contingit errare in amando, vel desiderando inem, desiderando frui una persona sola. Similiter, ignorantem Deum facile mundum contingit errare, non rependendo amorem, quem gratitudo requireret propter tantam communicationem bonitatis suae, ad utilitatem nostram factam, ita ignorantem articulos pertinentes ad nostram reparationem, contingit ignorantem errare, etiam non rependendo amorem debitum pro tanto beneficio, & ita de aliis Theologicis. Assumptum patet, quia quaecumque conditiones tractantur de fine magis natae sunt ostendere appetibilitatem finis; & conditiones eorum, quae sunt ad finem, magis natae sunt ostendere ea, quae sunt ordinata ad finem. Ad argumentum eorum patet, quod minor est falsa. Ad probationem dico, quod non potest ita distincte tractari de fine cognito, & de his quae sunt ad finem, quin tota illa cognitio esset practica intellectui creato: quia tota illa cognitio nata est ostendere finem sub ratione appetibilis, & ea quae sunt ad finem sub ratione ordinis eorum ad finem, vel circa quaecumque posset voluntas non directae errare.

ALIA Opinio (a) tenet eandem conclusionem. Sed ponit eum hoc Theologiam esse simpliciter unum habitum.

Et (b) hoc propter subiectum ejus unum, quod est Deus, in quo conveniunt omnia, de quibus in scientia determinatur. Omnia enim cadunt sub consideratione hujus scientiae, inquantum participat aliquod divinum. Et ideo, siue consideret de his per extensionem ad opus, siue non, sed pure speculative propter unitatem formalem subiecti, tamen haec scientia est una. Contra istam opinionem arguo sic: quandocumque aliquid commune dividitur primo per differentias oppositas, impossibile est utrumque differentiam inveniri in aliquo uno contento sub communi: sed scientia in communi dividitur primo in practica, & speculativa: ergo impossibile est istas differentias simul inveniri in aliqua scientia una. Major est manifesta, quia si differentia condividenter aliquid commune, possent se comparari in aliquo contento sub communi, tunc idem corpus posset esse corporeum, & incorporeum, & idem animal sensibile, & insensibile, & idem homo rationalis, & irrationalis, quae sunt absurdum. Minor patet per Avic. 1. Met. in principio, & per Commentatorem 1. Eth. com. 1. & per Gundisalvum, de divisione scientiarum. Item, sequuntur de eodem, duo contradictoria; videlicet extendi, & non extendi; & multa alia inconvenientia: quare, &c.

Ad Questionem igitur respondeo, quod cum a deus voluntatis elicitus sit verissime praxis, etiam non conueniatur aliquis actus imperatus (ut patet ex primo articulo) & extensus cognitionis practicae consistit in conformitate ad praxim, & proximate aptitudinali (ut habetur ex secundo articulo) sequitur, quod illa est cognitio practica, quae est aptitudinaliter conformis voluntati rectae, & naturaliter prior ipsa: sed tota Theologia necessaria in intellectu creato est sic conformis actui voluntatis practicae, & prior ea: ergo, &c. Probatio minoris, quia primum sub-

Quam

quam Theologiae est virtualiter conformis volunti rectae, quia a rationis ejus sumuntur principia prima rectitudinis in voluntate: ipsum etiam determinat intellectum creatum ad notitiam rectitudinis determinatam ipsius praxis quoad omnia Theologica necessaria prius naturaliter, quam aliqua voluntas creata velit: (alias non esset necessaria) ergo ex primo subiecto sequitur tam conformitatis, quam prioritatis Theologiae ad voluntatem: & ita extensio ad praxim, a qua extensio: cognitio dicenda sit practica. Confirmatur ratio ista, quia cum primum obiectum Theologiae sit ultimus finis, & principia in intellectu creato sumpta sine ulti non sint principia practica: igitur principia Theologiae sunt practica: ergo & conclusiones sunt practicae. Sed obicitur, quia (ex quo est praecedente) Deus non est hic primum subiectum, inquantum finis, sed ut haec essentia: principia autem sumpta a fine, ut huius est, sunt practica. Item, cognitio huius ultimi non est immediate conformis, nec nata est esse conformis immediate praxi elicenda: ergo non est propinque practica, licet primum obiectum includit virtualiter conformitatem ad praxim rectam; non tamen solam cognitionem sic conformem, alioquin non posset de ipso esse cognitio speculativa, quod videtur inconueniens. Qualiter enim est ista veritas practica, *Deus est Trinus?* Vel, *Pater generat filium?* ergo primum obiectum includit aliquam notitiam speculativam: igitur ex conformitate illa virtuali primum obiecti ad praxim, non sequitur Theologiam esse practicam, cum multae veritates, quae sunt maxime Theologicae, inquantum Theologia distinguitur a Metaphysica, sint speculativae. Item tuus scientia Dei esset practica, quae est de eodem subiecto primo, & etiam videtur, quod ratio solutionis questionis possit applicari ad intellectum divinum sicut ad creatum. Ad primum dico, quod respectus finis non est illud, a quo principia sumuntur in aliqua scientia: sed illud absolutum, in quo fundatur respectus, & illud est essentia haec. Ad secundum dico, quod virtualiter continens cognitionem conformem, est virtualiter conforme, & ita cognitio ejus est practica: quia conclusiones practicae habent principia practica: proxima autem cognitio illi, quae est de fine, est cognitio fructuosis finis: & illa nata est esse conformis formaliter praxi fructuosis. Ad tertium dico, quod primum obiectum solummodo includit notitiam conformem volunti rectae: quia virtute ejus nihil de ipso cognoscitur, quod non sit, vel rectitudo voluntatis alieujus, vel virtualiter includens notitiam talis rectitudinis. Et concedo, quod inferitur in consequente, quod de ipso nulla potest esse scientia speculativa. Necessario enim notitia ejus, & cuiuscumque intrinseci per ipsum cognitum, conformis est praxi aptitudinaliter, & prior, si cognitum est necessarium. Cum instetur de illis veritatibus, quae videntur maxime Theologicae & non Metaphysicae, ut *Deus Trinus*, & *Pater generat filium*: dico, quod istae sunt practicae, Prima enim includit virtualiter notitiam rectitudinis dilectionis, tendentis in tres personas; ita quod si actus eliciteret circa unam solam, excludendo alias (sicut infidelis eliciteret) esset actus non rectus. Secunda includit notitiam rectitudinis, secundum quod actus est circa duas personas, quarum una est sic ab alia.

Si obicitur contra hoc sic; quia nihil nisi essentiale est ratio termi-

a. De Tr. 1. p. 91. ar. 4. b. Addit.

nendi actum illius dilectionis: Theologia autem est magis proprie de personalibus, quam de essentialibus, quia essentialia plurima possunt a nobis in Metaphysica cognosci: igitur Theologia ut distinguitur a Metaphysica, quantum ad propriissima sibi, non est practica. Prima propositio probatur, quia alias esset aliqua ratio diligibilis tantis in una persona, quæ non esset in alia: quod falsum est, quia tunc nulla beatificaretur in se ipsa. Respondeo essentialia est ratio formaliter terminandi actum amandi, ut *propter quam*: sed personalia terminant, ut *que amantur*: non autem sufficiunt ad rectitudinem actus, quod habeat rationem formalem convenientem in objecto: sed etiam requiritur, quod habeat objectum convenientem, in quo sit talis ratio formalis: præter istam igitur notitiam rectitudinis, quam includit essentialia in actu amandi Deum, personalia includunt propriam notitiam ulteriorem rectitudinis requiritæ. Ad quartum posse concedi, quod Theologia Dei de necessitate sit practica, quia in intellectu suo natum est primum obiectum Theologicum quasi pignere notitiam conformem voluntati recte, priorem naturaliter ipsa volitione. Quod conformem, patet. Quod priorem, probatur: quia prius naturaliter intellectu intelligit obiectum primum, quam voluntas velit illud: igitur prius naturaliter volitione, potest habere omnem notitiam sufficienter virtualiter inclusam in intellectu prioris obiecti: talis est quæcumque notitia necessaria de primo obiecto. Consequentia supposita patet, tum quia per impossibile excludi omni volitione, postest intellectus habere omnem notitiam sufficienter virtualiter inclusam in intellectu prioris obiecti, cum illa intellectu præcedat omnem volitionem; tum quia intellectus divinus non dicitur: igitur non prius naturaliter intelligit primum obiectum, quam aliquid virtualiter in illo inclusum, quoad notitiam: ergo si prius intelligit primum obiectum, quam voluntas velit aliquid, prius intelligit quodlibet inclusum, quoad notitiam in primo obiecto, quam voluntas velit. Hæc secunda probatio consequentia minus valet.

Si obiciatur, quia tunc voluntas divina non erit prima regula sui in actibus suis, si ejus actum præcedat notitia, cum in agendo debet conformari, ad hoc ut recte agat; consequent autem videtur in-conveniens, quia tollit summam libertatem voluntatis divine, si ab alio determinetur, & non ex se primo, quoad primum actum suum: si autem præcedit omnem actum suum cognitum practicæ, ab intellectu determinabitur ad primum actum, quia non potest ei dissentire: tunc enim potest peccare. Item supra dictum est Phil. bene dicere consequenter, si intelligentia naturaliter amat Deum visum, ergo notitia ostendens Deum non est practica. Fiat autem similis consequentia de Deo naturaliter amante se. Item; si Dirigens aliqua causa est respectu directi: igitur est distinctio realis inter ipsa: non est autem talis distinctio intellectus Dei ad velle. Et confirmatur, quia intelligendo jam velle esse efficientem, intellectus non dirigit: tantum enim dirigit circa actum efficiendum, quasi prior ipso: Sed in Deo velle sui non sequitur voluntatum in esse: igitur nunquam est ibi quasi efficiendum, sed semper quasi effectum: ergo, &c.

Hic videtur consequenter dicit, dicendum, quod accipiendo regulam præ rectitudine in praxi, prima regula est finis ultimus, qui virtualiter inclu-

ehdit primo notitiam omnis rectitudinis necessariæ: cujuscunque praxi, sicut primum subjectum scientiæ speculative: primo virtualiter includit notitiam omnium veritatum speculabilium. Hæc autem prima regula, quæ est finis, ordinatæ rectitudinis intellectum, & voluntatem, sicut ipsa potentia nata sunt agere ordinatæ, ita quod prius quasi igitur notitiam conformem rectæ praxi, quam rectitudinem praxim: & ita potentia præstante, alia erit potentia prior, & prius recta: ita quod primum consequens illatum in prima ratione, videtur concedendum.

Cum vero improbat: postest dici, quod sicca universalius libertas fiat cum apprehensione prævia, ita summa libertas fiat cum summa apprehensione prævia. Apprehensio autem praxi præstissima, includit notitiam conformitatis, quoad ipsa necessario convenit praxi.

Cum ulterius additur, quod determinata sit aliunde: hoc negandum est loquendo de determinatione, quæ fit per agens sufficiens. Licet enim non possit dissentire à notitia rectificativa praxi, & priori praxi: hoc tamen non est, quasi intellectus per notitiam hæc causa sufficienter activa, determinans ipsam ad actum: sed ex perfectione voluntatis est, quod ipsa tantum nata est conformiter agere potentia prior in agendo, quando illa prior prius per se agit circa obiectum, hoc est, tantum novit prius, quantum postest nosse. Quod dico pro contingentibus, quorum intellectus divinus non habet omnem notitiam sibi compossibilem ante omnem actum voluntatis: ideo circa illa, non oportet, quod conformiter agat potentia prior in agendo: ipsa non prius conformiter novit tale obiectum. Sed semper alter accidit circa cognoscibilia necessaria ex se: quia ista perfectissimum sui notitiam habent absque actu voluntatis.

Ad secundum potest dici, quod non est simile (a): quia ibi est simplex complacentia: hic vero efficitur circumstantionata volitio. Similiter non solum intellectus divinus est offensivus, sed æquovalenter saltem regulativus: quod non possit Philos. vel aliter, quod est regulatio, & determinatio obiectalis, est non potentialis, quod non possit Philosophus. Ad tertium dico, quod si concluderet, sequeretur, quod nec intellectus nec volitio aliqua esset in Deo, cum essentia divinis sit obiectum morivum ad utrumque: & ita cum pariter concurrente potentia vitali, ut concausa. Dico igitur, quod est tantum ordo, quasi effectuum eiusdem quasi cause in proposito, quæ tamen non distinguitur a quasi effectibus: quia nec proprie causantur, nec producantur, nec principiantur, nec eliciuntur: sed simpliciter emanant, est igitur metaphorica casualitas, sicut communiter convenit in divinis. Vel aliter sustinendo intellectum quoquo modo dirigere, negatur distinctum proprie loquendo de causa. Ad confirmationem dico, quod sufficit ordo nature, qui fiat cum simultaneæ durationis cognitionis ad praxim, & voluntatis ad velle, & sic patet ad argumenta sustinendo primam vitam.

Licet hæc responsio videtur evadere argumentum, & per eam etiam sequentia argumenta possent evadi: tamen aliter potest dici, quod Theologia necessaria in intellectu divino, non est practica, quia non est prioritas naturalis intellectus ad volitionem, quasi conformativi ad ipsum.

conformandum, five directivi ad dirigendum aliquid. Quia posita notitia quacunq; rectitudinis ipsius praxis, quamvis ista ex se possit conformare potentiam conformabilem, seu rectificabilem aliunde: non tamen voluntatem divinam respectu sui primi objecti, quae ex se sola rectificatur respectu istius objecti: ita quod vel talis naturaliter tendit in illud, vel si liberè, nullo modo est de quasi indifferens ad rectitudinem, & quasi aliunde aliquo modo habens eam: ita quod notitia determinativa rectitudinis non est necessaria prior voluntati, quasi volitio illam requirat, ut rectè eliciatur, sed tantum praerogit ostensionem objecti. Et ista notitiam ex se directivam non praerogit ut directivam, sed tantum ut ostensivam, ita quod si possit praecedere voluntatem sola ostensio objecti, & sequi notitia rectitudinis necessaria ipsius praxis, sicut dicitur de praxi circa contingentia; aequè rectè eliceretur volitio tunc, sicut nunc. Nullo ergo modo intellectio est prior, ut conformativa, seu regulativa voluntatis. Ad argumentum igitur, probans prioritatem rectitudinis ad praxim rectam, responderi potest: quod licet sit aliqua prioritas intellectio- nis ad volitionem: non tamen est sic prior, ut requirat rationem rectam esse priorem praxi. Quia talis prioritas est regula ad regularam, qualis esse non potest, quando voluntas est omnimoda regula sui in agendo. Huius controversiae de scientia Dei respectu sui, an sit practica, summa in hoc consistit, si notitia, quae de se esset directiva in praxi, dato quod potentia practicans in sciente non esset dirigibilis in agendo, sit practica, ex hoc solo, quod esset sic ex se directiva: vel non practica, ex hoc, quod potentia practicans in sciente, non est dirigibilis. Qui alteram partem tenet, dicat consequenter.

SECUNDUS Articulus quaest. est de Theologia contingentium, an sit practica. Dico, quod tantomodo in illo intellectu Theologia contingentium practica potest esse, qui habere potest determinativam notitiam rectitudinis ipsius praxis ante ipsam praxim elicitam: quia solummodo ibi Theologia contingentium potest esse conformis praxi, & prior ea. Talis est tantum intellectus creatus, quia nullius intelligentis creati voluntas primo determinat rectitudinem contingentem convenientem praxi. In intellectu igitur divino non potest esse Theologia contingentium practica, tenendo ista duo. Primum, quod cognitio practica, & praxis, ad quam extenditur, debent esse necessario respectu eiusdem suppositi. Secundum, quod Dei ut operantis nulla sit praxis, nisi volitio, non ponendo in ipso potentiam tertiam aliam ab intellectu, & voluntate. Nam nulla cognitio conformis volitioni contingenti rectè praecedit ipsam volitionem Dei, quia primo volitione determinatur praxi illi talis rectitudo. Illud primum est dubium: Improbatur tamen dupliciter. Nam si cognitio quaecunq; de praxi alterius est practica: ergo cognitio mea de hoc, quod est *Deum creare mundum*, vel de hoc, quod est *Intelligentiam movere caelum*, erit practica; quod videtur falsum. Saltem hoc videtur concludere, quod cognitio practica non potest esse intelligentis inferioris, operante superiore secundum illam praxim, si nihil secundum illam inferior operatur. Pari ratione nec superioris, vel aequalis, si nihil facit ad praxim operantis, si autem aliquid facit, iam superior habet praxim propriam, respectu cuius ista cognitio sit practica. Item si

cogi-

cognitio practica habet aliquam causalitatem respectu praxis, ad quam extenditur, & non est nata habere talem causalitatem primo, nisi respectu praxis, quae sit in intelligente: videtur sequi propositum. Contra, igitur de eodem, unus intellectus habere notitiam practicam, alius speculativam, si praxis esset possibilis uni intelligenti, & non alij. Ad hoc potest dici, quod perfecta rectitudo praxis includit circumstantiam operantis, sicut & alias circumstantias, ita quod sine ista non est rectitudo. Si enim accipiat, *Deus est amandus*, nisi addatur à quo, puta, à voluntate, non est vere practica complete; quia Deus a bruto non est amandus. Itaque hoc verum perfectum, *Deus est amandus à voluntate*, etiam in quocunq; intellectu est practicum. Ita, & istud: *homini quandoque est sejunandum*, non est tantum practicum homini cognoscens; sed etiam Angelo; & Deo, & etiam homini. Et Deo est hoc practicum: *Ab Angelo caelum est movendum*. Et concedo illud, quod prima probatio inserit tanquam inconveniens. Et si obiciatur, quod non salvatur prioritas practicae cognitionis ad praxim: prius enim dilectio Dei respectu sui est recta, quam homo vel Angelus possit intelligere, quod Deus est amandus à voluntate. Respondeo, ista prioritas debet esse ex objecto, & intellectu, hoc est, quod objectum natum fit determinare intellectum ad notitiam determinatam rectitudinis praxis, quantum est ex se ante praxim illam. Ita objectum hoc, natum est quocumq; intellectum determinare ad notitiam istam, *Deus est amandus à voluntate*, quantum est ex se, ante praxim, licet aliquis intellectus ex imperfectione sui, non prius determinetur, quam potentia operans ex perfectione sui operetur. Ad aliam objectionem dico, quod licet voluntas potest esse causa superior respectu praxis potentiae motiva, quae quocunq; respectu conjungunt, puta non mea respectu potentiae motiva Angeli, sed quando sunt in eodem: ita si cognitio practica sit causa respectu praxis, hoc est, in eodem intelligente, & operante; nec oportet quod in alio sit non practica, nisi accipiendo strie *practicum* pro immediate applicabili ad opus, quantum est ex identitate suppositi cognoscens, & operantis, qualem denominationem denotat infinitivus significans praxim constructus cum *scire*. Sic enim conceditur, quod solus Deus scit se infinite diligere, sicut Angelus sciat ipsum infinite à se diligendum. Qui sic respondet à principio habet concedere omnes veritates de praxibus agentium causalium, cognosci à quocunq; intellectu practice: quia omnes istae five ab objecto, ut necessariae; five aliunde, ut contingentes, natae sunt praxi esse conformes praxibus, five prius determinate rectitudinem praxibus, quam ipsae praxes, eliciantur. Omnes autem veritates de volitione divina, necessariae sunt practicae: contingentes autem non, quia ante istam praxim elicitam, quae quod extenduntur, non habent conformitatem, quia nullam determinationem rectitudinis, Verbi gratia, Deus practice cognoscit homini esse ponendum; & Angelo esse movendum caelum, sed non practice cognoscit, quod est Deo volendum hominem sanctum ponere, vel Angelum caelum movere.

Si quaeris, qualis est Theologia contingentium in se, non comparata huic, vel illi intellectui? Dicit potest quod ipsa talis est in se, qualis est ex objecto. Non est autem ex objecto conformis praxi ante illam, omnis pra-

xim, quia ex obiecto nulla nata esse haberi notitia determinate rectitudinis contingens, ideo ex obiecto non est practica: igitur speculativa, si sufficienter dividuntur notitiam. Huic congruit, quod in intellectu divino negatur esse practica: talis autem videtur esse in se, qualis est in perfectione generis illo, non in imperfecto. Si obijciatur, quod tunc cognitio in se speculativa, est aliquid practica, puta intellectus creato, ergo practicum non repugnat speculativo: Respondeo, quod sicut esse ex obiecto speculativum, est esse per se speculativum: ita esse practicum ex obiecto sufficienter determinante intellectum ad notitiam rectitudinis, est esse per se practicum: ergo ante omnem volitionem est esse per se practicum, & sic opponitur illi duo, *practicum*, & *speculativum*, ut ista, non extensibilis ad proximum, & extensibilis ad proximum. Sed esse practicum, aliunde, quam ex obiecto, puta a causa extrinseca, ut a voluntate determinante intellectum ad notitiam praxis, est esse accidentaliter practicum: & ita concedo Theologiam contingentium esse practicum nobis: licet in se sit speculativa. Contra hoc, cui convenit unum oppositum per se, ei aliud oppositum nec per se, nec per accidens convenit: igitur notitia per se speculativa, nec per se, nec per accidens est practica. Respondeo, licet antecedens possit exponi de se primo modo, vel secundo modo, non autem tertio modo, prout dicit idem quod *Solitarie*: tamen concedo, quod nullo modo inherenti inheret oppositum predicatum huic, quod est per se esse speculativum. Quia Theologia contingens per se secundo modo est per se speculativa, ita quod inherenti sit per se, & predicatum determinatur per se. Sed per accidens esse practicum, per accidens, non opponitur illi, sicut esse nigrum simpliciter, & esse album secundum quid, non opponitur, secundum quid enim, & simpliciter determinant predicata, ut denominantia. Si arguitur, per se est speculativa per se, ergo per se est speculativa; conceditur. Nec huic predicato repugnat hoc predicatum per accidens practica.

Si vero alterum istorum duorum, quae tenet ista responsio, non tenetur, tunc potest concedi, quod Theologia contingens, licet non in se, quia non ex obiecto, tamen in omni intellectu creato, & increato esse practica per accidens: quia ut ipsa est in intellectu creato, potest esse conformis praxi prius quam praxis illa eliciatur a voluntate creata. Prius enim intellectus Dei novit, peccatorem ad ultimum in nova lege debere contrari, quam peccator contratur. Et sic non tenendo primum, istorum, cognitio Dei de praxi alterius operantis est practica. Non tenendo etiam secundum, puta, ponendo agere Dei ad extra esse primum eius aiam a volitione formaliter, licet intellectus Dei non prius novit. A. esse creandum, quam voluntas sua velit: tamen prius novit. A. quam creet. Ita praxim ad extra praecedit notitia conformis, licet non ex obiecto, sed aliunde conformis.

Hoc saltem teneo, quod Theologia contingentium non est per se practica, sive ex obiecto, potest tamen in intellectu creato esse practica per accidens, & hoc in illo intellectu, cuius est operari secundum praxim, cui determinatur rectitudo a voluntate divina. An vero intellectus divinus sit practica, patet, tenendo illa duo, vel opposita, quid dicendum est consequenter. Probabilia tamen videntur haec tria. Primum, quod practica

etica est rectificativa in praxi contingentium. Secundum, quod est rectificativa potentia practicantis aliunde, quam a se rectificabilis. Et tertium, quod in Deo non est potentia practicans alia, nisi voluntas. Ex primo, & tertio sequitur, quod si divina notitia esset practica, ipsa esset rectificativa in volitione divina, hoc autem falsum est ex secundo istorum: quia voluntas divina ex se primo recte elicit velle, respectu primi obiecti: respectu autem istorum quorum est contingentium, ex se sola determinatur, non per aliquam notitiam determinativam rectitudinis praecedentem.

Ad Argumenta principalia primae quaestiones. Ad primum respondeo, quod idem non est habitus speculativus, nec credere, est actus speculativus, nec visio seuens credere, est visio speculativa, sed practica. Nata est enim ista visio conformis esse fructioni, & prius naturaliter haberi in intellectu creato, ut fructio recta illi conformiter eliciatur. Ad secundum dico quod contingens, circa quod est scientia practica, est finis, vel ens ad finem, in agibilibus autem actio est finis ultimus secundum Phil. 6. *Ethic.* (a) ergo contingencia actionis sufficit ad scientiam practicam, vel obiectum scientiae practicae. Contra hoc arguitur primo, quia scientia est necessarium: ergo circa contingencia non est scientia. Antecedens patet ex diffinitione *scire*, 1. *Poster.* (b) similiter 7. *Ethic.* scientificum distinguitur a ratiocinativo penes necessarium, & contingens: ergo omnes habitus partis scientificae sunt circa necessarium, scientia autem est habitus istius partis: ergo, &c. Praeterea, si Theologia est circa contingens agibile, ergo est habitus activus, cum ratione vera: haec diffinitio est prudentia, ut dicitur 6. *Ethic.* (c) ergo Theo. est prudentia, & non scientia. Ad primum respondeo, de contingentibus sunt multae veritates necessariae, quia actus qui contingens elicitur, concluditur necessario debere esse talis, ad hoc ut sit rectus. De ipso ergo, est scientia quantum ad conclusionem demonstratam necessario, licet in se sit contingens, in quantum elicitur a potentia propria. Tunc patet ad authoritatem, 1. *Posterior:* *Scientia est necessarii dicti de contingente*: & ita veritates necessariae includuntur in veritate contingens, vel concluduntur de aliquo, quod est contingens per rationem alicuius prioris necessarii. Per idem ad authoritatem 6. *Ethic.* quia habitus partis ratiocinativus est circa actum, in quantum contingens elicitur: sed habitus scientificus, vel scientia est circa idem, in quantum de eo aliquid necessario concluditur. Si obijciatur, quod non est idem obiectum habitus scientifici, & ratiocinativi, de hoc dicitur inferiorius, quomodo idem obiectum potest esse plurimum habituum, licet non idem habitus plurimum obiectuum.

Ad secundum dico, quod eodem modo concluderet scientiam moralem esse prudentiam. Nam scientia moralis est habitus activus cum vera ratione. Ideo dico, quod diffinitio prudentiae debet intelligi de habitu activo proximo, qualis est habitus seu situs ex agibus. Unde sicut circa facultates artis debet haberi habitus experti: ita circa agibilia se habet scientia moralis ad habitum prudentiae: quia habitus artis, & scientia moralis quasi sunt remoti ad dirigendum, quia universales; Sed habitus prudentiae

tie & experti, quia generati sunt ex alibus, sunt particulares, & propin-
 qui ad dirigendum. Ista expositio est necessaria, alioquin nulla esset scientia
 practica: quia quaeque est habitus activus, vel factivus cum ratio-
 ne vera. Conclusio autem est inconveniens, & contra Philosophum,
 6. *Metab.* & contra Avic. 2. *Metaph. cap.* 1. Et contra auctoritates alias.
 Ad tertiam rationem dico, quod Boetius intelligit per Theologiam *Metaphysicam*,
 & quod dicit de substantia Dei; dico quod Deus considera-
 tur in illa scientia, quantum possibile est ipsum considerari in scientijs ac-
 quisitis. Ad aliud, dico, quod nobilitas est in inferiori attingere tuum
 superius secundum Philosophum, 7. *Polit.* unde: sensitiva hominis est no-
 bilior, quia ordinatur ad intellectivam, quam sensitiva bruti: nobilitas
 igitur est in scientia ordinari ad actum nobilioris potentiae. Sed Philo-
 sophus non ponit aliquam scientiam esse conformem praxi voluntatis circa
 finem, quia non ponit voluntatem circa finem habere praxim, sed quam-
 dam motionem simplicem naturalem. Ideo nullam posuit posse esse no-
 bilioris per conformitatem ad finem. Si tamen posuisset aliquam pra-
 xim circa finem, non negaret (ut videtur) scientiam practicaem respectu
 istius praxis, esse nobilioris speculative scientia circa idem. Puta si ali-
 qua esset speculativa circa illa, circa quae est scientia moralis, non diceret
 istam speculativam esse nobilioris morali scientia. Nos autem po-
 nimus esse veram praxim circa finem, cui nata est esse cognitio conformis:
 & ideo ponimus cognitionem practicaem circa finem, nobilioris esse
 omni speculative: igitur prima propositio rationis, quae videtur posse
 sumi ex primo *Metaph.* quavis eam expressit non dicit Philosophus, et
 neganda est. Ad primam probationem eius dico, quod scientia illa est
 nobilior, quae est sui gratia, quam quae est gratia alius actus inferioris se:
 qualibet autem scientia, quam ipse posuit practicaem, est gratia ali-
 cujus inferioris se, quam se considerat speculativa, quia saltem circa
 objectum aliquod inferius, quam quod ponit esse objectum speculative:
 & ideo qualibet practica, quam ipse ponit, est nobilior aliqua speculati-
 va. Quae autem est gratia alterius actus nobilioris suo proprio actu, non
 est ignobilior propter talem ordinem: tunc enim sensitiva nostra esset
 ignobilior sensitiva bruti. Ad tertiam probationem propositionis nega-
 tae, cum dicitur de certitudine, dico, quod qualibet cognitio scientifica
 respectu sui objecti, est aequae certa secundum proportionem, quia utra-
 que resolvitur in sua principia immediata, sed non aequae certa secundum
 quantitatem. Quia haec sunt cognoscibilia certiora illis, sicut objecta,
 de quibus ponit Philosophus scientias practicas, sunt minus perfecte cog-
 noscibilia in se, quam de quibus ponit aliquam speculativam. Ideo ali-
 qua speculativa, secundum Philosophum, ponitur certior omni practicae
 secundum quantitatem: Nos autem ponimus cognoscibile operabile,
 hoc est, attingibile per operationem, quae est vere praxis, in se esse ma-
 xime cognoscibile: & ideo ponimus scientiam de ipso, nec secundum
 quantitatem certitudinis, sicut nec secundum proportionem ab aliqua
 alia excedi. Ad aliam rationem de necessarijs existentibus, dico quod
 haec non est inventa propter necessaria extrinseca, sed propter necessaria
 intrinseca, scilicet moderantiam passionum, & operationum; sicut mor-
 talis scientia, si esset inventa omnibus necessarijs extrinsecis habitus, non
 minus

minus esset practica. Non est autem haec inventa ad fugam ignorantiae;
 quia multo plura scibilia possent poni, vel tradi in tanta quantitate do-
 ctinae, quam hic tradita sunt. Sed haec eadem replicantur frequenter
 ut effectivus inducatur auditor ad operationem eorum, quae ibi persua-
 dentur.

Ad Argumenta secunda questionis. Ad auctoritatem 3. de *Anima*
 dico, quod loquitur de fine, ut cognito: nam intellectus propter ali-
 quid rationeans ratiocinatur propter finem cognitum, ut est principium
 demonstrationis. Ad secundum de primo *Metaph.* dico, quod practica
 non est gratia usus, ut per se finis: tamen aliquam habitudinem habet ad
 usum, sic, quod usus est per se objectum eius, vel aliquid virtualiter
 includens usum, quale Philosophus non posuit esse aliquid ens, nisi ens
 ad finem; & omne tale obiectum est ignobilis obiecto speculative: & ideo
 talis ordo ad praxim concludit ignobilitatem practicae respectu specu-
 lative. Ad tertium, de secundo *Metaph.* dicitur, quod speculativa, &
 practica habent diversos fines, loquendo de per se habitibus infra genes cog-
 nitionis, sed illi fines non distinguunt primo, sed prior est dilinatio ex
 objectis, sicut dictum est.

Ad Rationes pro opinione opposita. Cum arguitur contra distinctio-
 nem per objecta. Ad primam dico, quod non potest esse circa idem ob-
 iectum habitus practicus, & practicus. Cum probatur, quia intellectus
 extensione fit practicus; dico, quod Arist. numquam dixit, quod intel-
 lectus speculativus extensione quacumque fit practicus. Sed Arist. ponens
 tres gradus intellectus, quorum primus est considerate speculabilia tan-
 tum. Secundus considerate agibilia, non dictando prosequi, vel fugere?
 Tertius ut dicit, quando amplius extendendo se, jubet prosequi, vel
 fugere; ita quod illa extensio est intellectus imperfecte practici, ad con-
 siderationem perfecte practicae, puta ab apprehensione terribilium ad
 dictamen completum de eis precipiendo fugam, vel prosecutionem.
 Concesso tamen, quod intellectus speculativus extensione fiat practicus
 non est ad propositum; quia *speculativus*, & *practicus*, sunt differen-
 tiae accidentales intellectus, licet sint essentialis habituum, & actuum:
 & ideo actus, & habitus non extenduntur. (a) Ad illud de Medicina di-
 citur a quodam, quod habitus universalis est speculativus: sed quando ex
 ea acquiritur habitus particularis, tunc fit practicus. Contra, tunc ex
 principijs speculativis sequeretur conclusio practica. Ideo aliter dicendum
 est, quod quando sunt aliqua duo extrema opposita, quanto aliquid re-
 cedit ab uno oppositorum, tanto accedit ad aliud: modo actualissimam
 rationem practicae habet consideratio, quae nata est immediate esse con-
 formis formaliter praxi eliciende, & quanto aliquid magis recedit ab
 isto, tanto magis accedit ad speculativum: igitur habitus universalis, qui
 non est immediate natus esse conformis praxi eliciende, potest dici spe-
 culativus respectu alius habitus, qui immediate natus est esse conformis
 praxi eliciende. Ita potest dici ars speculativa respectu habitus ex-
 perti, quia ars, tanquam universalior habitus, non est ita immediate
 directiva, sicut apparet (b) 1. *Metaph.* Artifex frequenter errabit, in-
 pertus

perius autem non ita errabit. Ita potest distingui Medicina in speculativam, quae scilicet est de universalioribus causis, & curis, quae cognitio est remotior a praxi elicienda; & in practicam, quae est de particularibus, & propinquioribus praxi, & immediatius conformibus praxi. Tamen secundum veritatem illa universalior (quae in comparatione dicitur speculativa) est simpliciter practica, quia virtualiter includit illam particularem formaliter conformem praxi. Ad aliud de bonitate, & malitia, dico, quod non omnis actus bonus est primo bonus a circumstantia finis: immo est aliquis bonus a circumstantia objecti, puta ubi finis est objectum: & sibi circumstantia finis ut objecti primo tribuit rectitudinem actui. Ille enim actus ex objecto solo, est simpliciter bonus, ut *amare Deum*, sine aliis circumstantiis est simpliciter bonum. Falsum est igitur quod a fine, ut finis est, prout scilicet distinguitur contra objectum, accipitur primo bonitas actus moralis. Immo secundo illud est falsum: quia actus circa ens ad finem, licet habeat pro una circumstantia finem, tamen ab objecto est aliqua bonitas prior, a qua actus dicitur bonus ex genere. Tertia responsio est directe ad propositum, quia ens circumstantia formaliter circumstans praxim, ut sit bona, non tamen formaliter circumstans intellectionem practicam. Non enim intellectus moderate, sive modo dicitur actum, ita quod distat, circumstantionetur hac circumstantia mediocriter: sed intellectus dicitur secundum ultimum finem potentiae. Est autem illud dicitur rectum a principio, & principium sumitur a primo objecto.

Contra istud arguitur, quod non sit distinctio per objecta, quia omne formaliter tale est tale per aliquid sibi intrinsicum: ergo si habitus est formaliter practicus, hoc est per aliquid sibi intrinsicum, & hoc non erit objectum: ergo, &c. Exemplum, Sol non est formaliter calidus, licet sit virtualiter calidus. Praeterea, objectum non est distinctivum habitus, nisi ut causa efficiens; cause autem efficientes non distinguuntur effectus specie, quia a causis diversis specie potest esse idem effectus specie, sicut calidum idem specie generatur univoce, & aequivoce, ab igne & a Sole. Ad primum dico, quod effectus practicum dicitur aliquid intrinsicum notitiae, sicut respectus appetitivalis est intrinsecus fundamento: & quod notitia aliqua sic fit apta nata referri, hoc est per naturam intrinsecam notitiae, a qua naturam habet ab objecto, ut a causa extrinseca. Dico ergo, quod habitus est practicus per intrinsecum, ut per causam formalem: & per objectum, ut per causam efficientem. Ad secundum dico, quod licet a causis essentialiter ordinatis, quarum una est univoca, altera aequivoce, possit esse effectus unius rationis, sicut exemplificatur de calore: tamen quoad causas efficientes proxime ejusdem ordinis ad effectum, casum aliqua, inquantum ipse cause sunt distinctae, maxime si utraque sit univoca efficiens, sive univocatione completa, sive diminuta; non potest a causis talibus distinctis esse effectus unius rationis. *Univocationem completam* dico, quando est similitudo in forma, & in modo essendi formae *diminutam*, quando est similitudo in forma, licet habeat alium modum essendi; quomodo domus extra, est a domo in mente: unde & generationem istam vocat aliquo modo Philosophus univocam 7. *Metaph.* Quia igitur objectum est causa proxima respectu notitiae

titiae, & univoca, licet diminuta; sequitur quod distinctio formalis objectorum, (a) cum causent notitias, inquantum ipsa sunt distincta, necessario concludat distinctionem formalem noticiarum.

DISTINCTIO PRIMA.

CIRCA istam primam distinctionem, in qua Magister tractat de *Frui*, & *Uti*; quaruntur novem, quarum duo sunt de *objecto fruendi*, alia duo de *ipso frui in se*, & quinque de *ipso fruente*. Primo quaeritur de *Objecto ipsius frui*, & est

QUESTIO I.

Utrum per se Objectum fruitionis sit finis ultimam?

ET arguitur, quod non. Quia secundum August. 33. *quest. 9. 20. fruendum est boni invisibilibus*, sed plura sunt bona invisibilia, ergo non est fruendum tantum ultimo fine. Item, Capacitas fruents est finita, quia natura subiecti est finita: ergo capacitas illa potest satiari aliquo objecto finito: sed fruendum est quocunque satiare capacitate fruents, ergo, &c. Item aliquid est majus capacitate anime, ut Deus, qui sufficit sibi ipsi, & aliquid est minus capacitate eius, ut corpus: ergo aliquid est medium, scilicet aequale capacitati ejus, illud erit minus Deo, ergo, &c. Item, firmus assentit intellectus alii vero, quam primo vero: ergo a simili, intensius potest voluntas assentire alii bono, quam primo bono. Item; Quaecunque forma naturalis faciat capacitatem materiae: igitur quodcunque objectum faciat capacitatem potentiae. Consequenter probatur, quia potentia per formam in ipsa receptam, respicit objectum, & ita si forma una recepta faciat appetitum intrinsecum, sequitur, quod objectum, quod respicitur a potentia per istam formam, etiam faciat appetitum extinsecum, seu terminative. Antecedenter probatur, quia si aliqua forma non faciat, ergo stante ista materia, materia inclinetur ad aliam naturaliter, & per consequens sub ipsa quiesceret violententer, nam quodcunque prohibens ab illo, ad quod est inclinatio ipsius, est violentum sibi, sicut apparet de quere gravia extra locum suum. Ad oppositum est August. primo de Doctr. Christiana cap. 1. *Res, quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres sunt una res*: ergo, &c.

Ad istam quaestionem primo distinguam de fruitione ordinata, & in communi sumpta. Secundo dicam de objecto fruitionis ordinatae. Tertio de objecto fruitionis in communi. Quarto quomodo sit intelligendum fruitionem esse circa finem, sive vere ultimum, ut in secundo articulo, sive non vere ultimum, ut in tertio articulo.

De primo dico, quod fruio in communi excedit fruitionem ordinatam, quia quodcunque potentia non determinatur ad actum ordinatum ex se, actus ejus in communi universalior est actu ejus ordinato: volum